



**De Christi Iesu passione, deq[ue] illius fructu, ad Iacobum  
Cusanum, Cassinatis Reipub. praesidem, uirum clarissimum,  
oratio**

<https://hdl.handle.net/1874/429707>

# DE CHRI-

STI IESV PASSIONE,

deꝓ illius fructu, ad Iacobum Cu-

fanum, Cassinatis Reipub. Præ-

sidem, uirum Clarissimum,

Oratio.

PHILALETHE CLE

*mente Benacensi autore.*

BASILEAE.

DE CHRISTO

STI IESU PASSIONIS  
et Crucis et Sepulchri  
et Resurrectionis et Ascensionis  
et Pentecostes  
Orationes

PHILIPPO

et Hieronymo

Τὸ κειμήλιον πικρὸν, ἐν τῷ κειμήλιον κρίνονται ἕσθιν.  
Τὸ δὲ εὖ πικρὸν, ἐν τῷ κειμήλιον πικρὸν.

PHILIPPO

IOANNI OPORINO SVO

Philalethes Clemens Millanius Bena-  
censis S. D.



Vm tibi, quòd de tua iam  
pridem singulari doctri-  
na, atq; in omni uirtutum  
genere excellentia nobis  
esset allatum, non possem  
non debere plurimū, tum uerò postea  
quàm ex sermone Vincentij Vagri-  
nij te in rebus meis tam diligentē agno-  
ui, eo tibi arctius obstrictus sum, ut  
quod primūm præclare indolis, & uir-  
tutis tuæ contemplatione sponte facie-  
bam, nunc, modò ingrati hominis no-  
tam declinare uelim, idē omittere ne-  
queā. Qua de re, etsi (quæ tua huma-  
nitas est) satis tibi multo antea, atq;  
adeò cumulatissimè factū esse uelis,  
tibi tamē quas possum, quando aliter  
in præsentī per locorum interuallum  
referre mihi nō liceat, gratias ago. Cū  
igitur orationem quandam de Christi  
passione superioribus diebus ad Iaco-  
bum Cusanū, uirum clarissimū, & de  
me optimè meritum, habuissem, eam  
nomini tuo, uti singulare amoris in te  
a 2 mei,

## EPISTOLA

mei, atq; perpetuum uoluntatis testi-  
 moniū, nuncupauī: idem etiā, si uita su-  
 perstes fuerit, in Dialogis quos pro-  
 pediem emissurus sum, facturus, si te  
 hisce præludijs meis delectari percepe-  
 ro. Res erat ardua illa quidem, & quæ  
 mētibus hominū magis laudari, quàm  
 eloquētia cuiusuis comprehendī pos-  
 set. Nā si, ut de me ipse fatear, ingenij,  
 quod mihi minus inesse scio, quàm me-  
 diocre, habenda ratio ulla fuisset: si stu-  
 dij, cui etiā quàm decuit temporis mi-  
 nus impendi: si usus deniq; & exercita-  
 tionis, sanè omnino mihi tacendū scie-  
 bam, nedum satis mihi cōparatam es-  
 se de hac tam ingenti celebritate nunc  
 quidem tractandī, eloquendīq; facul-  
 tatem. Verū enim uerò malui, cum  
 tanti uiri studio, qui hoc à me conten-  
 dit, obtemperauero, suo ipse de me iu-  
 dicio detrahat: quàm si id non fecero,  
 meæ erga se uel beneuolentiæ, uel pie-  
 tati defuisse queratur. Itaq; timor mihi  
 abiiciendus fuit, ne audacia potius q̄  
 obsequium, & temeritas quàm pietas  
 censeretur. Quis est enim tam insigni-  
 ter impudēs, qui in eius morte deplo-  
 rāda, uel potius quādo hinc totius no-  
 stræ

N V N C V P A T O R I A .

stre salutis summa pēdeat, in illius laudibus recensendis tantum præstare studij non nolit, ut si minus idoneus, saltem pius, atq; omnino ad referendam gratiam memor habeatur: Neq; enim ullam mercedē tanta uirtus & pietas, præter hanc laudis, gloriæ, & grati animi desiderat significationem: qua etiam si careat, ut in re profana ait summus Orator, tamen sit seipsa cōtenta. Quanquam in memoria gratorum hominum tanquā in luce posita lætetur. In hoc interim uelim quicquid muneris est, quando ab singulari amore ac beneuolētia proficiscatur, læto pectore accipias. Vale, Pontidæ, ex Academia nostra, x v. Cal. Maias.

M. D. XLVIII.

DE CHRISTI IESV PAS  
sione, deq; illius fructu, ad Iacobum Cusanũ, Cas-  
sinatis Reipub. Præsidentem, uirum clarissi-  
mum, Oratio.



Um in tanto totius orbis terræ mœro re cogitarem, Præsul clarissime, nihil minus quàm Christi Iesu mortem in hoc celeberrimo, sacratissimoq; Dominicæ passionis die, deplendam esse, quando præsertim summa ex ipsa salus, & libertas comparata, & uoluntas, quod optandum erat, Dei Opt. Max. reconciliata nobis fuerit, non propterea silendum omnino mihi arbitratus sum, quin si nulla sese alia tulisset occasio, quæ quidem plurimæ, eaq; quàm maximæ sunt, uicem potius, miserri- mamq; infidelium conditionē deplorarem, & pij item pectoris si-  
gnifica

gnificationē aliquam facerē. Quae quidem in re, cum & horum causa, qui uti ex hoc limpidissimo salutis nostrae fonte, unde lumē, ueritatemque haurire potuerūt, nihil, quā cōfusionē, æternamque damnationem sunt adepti, nō dolere, iniustum, & ab omni etiam humanitate alienum putaretur: & mei, aliorumque similium causa, quibus Euangelium proficit in salutē, nō lætari plurimū, parum sapientis, & nō omnia, quæ inde consequuta sunt, dona recensentis uiderēt: anceps diu animus, in utram inclinaret partem, ignorabat. Vicit tamen dolor, à quo paulo ego post ita sum uictus, ut ab incepto prorsus mihi desistendū putarē. Rem enim sanē quā difficillimam, & longē etiam, quæ multis antehac fuerunt ætatibus, maximam, atque clarissimam, uehemēter horrebā.



## DE CHRISTI PASS.

Porro hanc eandem collectis de  
 omni in unum uiribus aggressus  
 sum, idq; nō obeundi fiducia, sed  
 pudore, quæ mihi abs te Pater o-  
 ptime mandata sunt, detrectandi  
 suscepi: neque quo à te uocor spe  
 perueniendi fretus, sed ut, qui ani-  
 mus, quæ ue mea in te uoluntas ef-  
 fet, & amor, uel hac una grati ani-  
 mi significatione declararē. Quod  
 si hoc animi robore, taliq; essem  
 & eloquentiæ & uirtutis indole,  
 ut omnē dolorē, qui mihi cum bo-  
 nis omnibus cōmunis est, respue-  
 re, & ex animo deponere possem,  
 sperarem equidē, si minus parem  
 dolori eloquentiam habiturū, ani-  
 mo tamen meo aliqua ex parte fa-  
 tis esse facturum. Verū cum do-  
 lor penē ita conficiat, ut nulla hu-  
 ius uitæ remissio uel parū ad le-  
 niendum dolorem proficiat, & in-  
 genium plusquā mediocre sit, nō  
 uideor

videor me illud orationis genus, facultatem, copiam sententiarum atque uerborum præstiturum, que & tuam Præful singularem prudentiam deceat, & tantam, quantum meminisse non possum, huius diei celebritatem. Quin mihi potius, ne in limine statim offendam, uerendum sit: ne ue huius tam atrocissimi atque nefandissimi facti recordatio, et uocem meam fletu debilitet, & mentem dolore impediat. Quis enim in tam acerbissimo omnium luctu, à fletu oculos cohibere, & à dolore mentem possim abducere? Etenim quis ex nobis est tam huius oblitus beneficij, tam diuinæ immemor beneficentiæ, tam inimicus suæ, qua à Deo insignitus est, dignitati, quæ non excitet, non inflammet huius tam inauditi facinoris perpetratio? Verùm si non silentio solùm,

sed etiã sermoni sua tempora sunt  
 cõstituta, quę incidere unquã tem-  
 pora poterunt, quibus uel tacere  
 minus laudabile sit, uel loqui ma-  
 gis necessariũ. Quanquã cũ mecũ  
 ipse diligẽter expẽdo atq; animad-  
 uerto, tam cœleste ac uerendũ hu-  
 iusce rei secretũ esse comperio, ut  
 nullius quamuis ingẽs flumen in-  
 genij ( ut clarissimi Oratoris uer-  
 bis utar) nulla dicendi aut scriben-  
 di tanta uis, tantãq; copia sit, quę il-  
 lud nõ dicã laudib. exornare, sed  
 ne uerbis quidem enarrare, atq; a-  
 deò animo cõcipere possit. Licet  
 enim diuina ipsius dispensatio sa-  
 cramẽti, et excusso Sathanæ iugo,  
 humanæ seruitutis in pristinam li-  
 bertatem assertio, uniuerso Chri-  
 stianorum cõtui pateat, & in prõ-  
 ptu sit: modus tamẽ ipse tam recõ-  
 diti, inestimabilisq; thesauri sapiẽ-  
 tiæ Dei, ut de memet ipse taceam,  
 qui

## O R A T I O.

qui corpus hoc mortale sum, quod  
aggrauat animam, indutus, uerum  
et diuinis illis, omniq; terrestri ma-  
teria, & cōtagione purificatis men-  
tibus incōprehensibilis omnino,  
& ut ita dicā, ineffabilis esse uide-  
tur. Accedit etiā illud, quod ad cæ-  
tera incarnationis, & descensus è  
coelo filij Dei, miranda illa quidē,  
& sensum humanū excedētia my-  
steria, religiosa quadā sanctaq; dul-  
cedine affectus, ac iucūdo quodā  
horrore perfusus, singulis ultro  
contemplandis immorari soleo.  
Inenarrabilem quippe cōceptio-  
nem eius, uirginē sine doloris sen-  
su enixā, ortum nouæ in cœlis stel-  
læ, magorum diuinæ maiestati cō-  
uenientia munera, miraculorum  
uim ac potestatem, summa cum  
uoluptate animi quotidie omnes  
legimus, & admiramur. In ijs ue-  
rō, quibus salutis & libertatis no-  
stræ

## DE CHRISTI PASS.

stræ causa semet ipsum pro nobis  
 exinaniuit, & hostiã obtulit Deo  
 patri, tacti dolore cordis intrinse-  
 cus tanquã recrudescẽs adhuc uul-  
 nus pertractare ueremur: ac pol-  
 lutis, incircũcisisq; labijs, cum pro  
 rei ipsius atrocitate, tum pro tan-  
 ta tamq; inæstimabili filij Dei di-  
 gnatione, parẽ in deploranda eius  
 passione eloquentiã præstare nul-  
 lo modò potest humana ulla con-  
 ditio. Miraculorũ enim ipsorũ al-  
 titudo, noua gratiæ (reiecta serui-  
 tutis lege) præcepta, transfigura-  
 tio coram discipulis in monte, cœ-  
 lestia de filio Dei testimonia, splẽ-  
 dor & gratia diuinitatis in facie,  
 & naturæ ipsius humanæ innoua-  
 tio quædam, utpote ineffabili Ser-  
 uatoris nostri Iesu Christi magni-  
 tudini ac dignitati cõsentanea, &  
 cõuenientia, facilè quadrare posse  
 uidentur. At horũ contraria, nem-  
 pe

pe maledicta, cōtumeliæ, insanien-  
 tiumq; hominū furiosa uerba, ac  
 uerbera, colaphi, sanctæ illæ ma-  
 nus, et gloriosi pedes clauis cōfixi,  
 lancea militari perfossū latus, &  
 his aut similia, aut crudeliora ple-  
 racq; cum non solum infra diuinā,  
 atq; cœlestē, sed humanā quoq;  
 ac corruptibilem naturam esse ui-  
 deantur, nescio quomodo aciem  
 ingenij ac mentis nostræ obruere  
 atq; hebetare nō sine graui animi  
 mœrore consueuerunt. Ac pro-  
 pterea mihi ipse persuasi semper,  
 neminem esse qui humanationis  
 uerbi Dei, aut humanæ, ut ita lo-  
 quar, Deificationis cōtemplator  
 idoneus, sermocinator ue persua-  
 sibilis esse unquā poterit, nisi gra-  
 tia prius opitulante diuina in alte-  
 rum hominē trāsfiguratus, ac mo-  
 dō crucifixus, modō resurgēs, ad  
 singula tam recōditæ dispensatio-  
 nis

## DE CHRISTI PASS.

nis myſteria commenſurauerit ſe  
 metipſum. Sed priuſquam dicere  
 incipio, te mi Pater omnipotens  
 (hanc enim unā appellationē, uti  
 præſidiū quoddā ſingulare nobis  
 tribuiſti) oro, ut tātisper mihi ad-  
 ſis, dum filio tuo, quo de hodie a-  
 cturus ſum, ea, quæ per me maio-  
 ra poterunt, iuſta perſoluero: aſpi-  
 resq; ut id ego bene dicendo tuo  
 munere cōſequar, quod ſancti illi  
 uiri, qui bene in hac mortali uita  
 aliquid egerunt, tuo ſunt munere  
 conſequuti. Quam ob rem, cū A-  
 poſtolo flecto genua mea ad pa-  
 trem Domini noſtri Ieſu Chriſti,  
 ex quo omnis parentela in cœlis  
 & in terra nominatur, ut det no-  
 bis iuxta diuitias glorię ſuę, ut for-  
 titudine corroboremur per ſpiri-  
 tum ſuum in internū hominē, ut  
 inhabitet Chriſtus per fidē in cor-  
 dibus noſtris, ut cū ipſo ſimul cru-  
 cifixi,

cifixi, & in ligno pendētes, uerbū  
 crucis Christi nō ut Iudæis in scan-  
 dalum, nec ut gētibus in stultitiā,  
 sed ad salutē, ædificationemq̃ no-  
 stram percipere ualeamus: exalte-  
 musq̃ nosmetipsos à terra, ut in li-  
 gno exaltatū Dominū, purificatis  
 mentis nostræ oculis, nobis liceat  
 intueri, atque suspicere. Etenim si  
 Dominus ipse ac redemptor no-  
 ster, de cœlo in terrā, ut nos inde  
 sublati ad cœlestia raperemur, de-  
 scendere uoluit: nō ne cōueniens,  
 uel (ut rectius loquar) necessariū  
 esse omnino existimabimus, unā  
 cum exaltato exaltari, cum præfer-  
 tim & uerbo, & exemplo ad se-  
 ipsum tracturū esse omnia, cum  
 exaltatus fuisset à terra, uoce diui-  
 na testatus sit, cumq̃ ratio et fides  
 catholica iam pridē præscripserit  
 nobis, ut à gloria Dei patris ad in-  
 firmitatē nostram descendētē fi-  
 lium,



## DE CHRISTI PASS.

lium ad cœlos ascendētes nos ipsi,  
 quasi è contrario descensum illius  
 ascendēdo uidelicet imitaremur,  
 non ne rectius æqualitatis regulā  
 seruabimus, si cū exaltato Dei uer  
 bo, simul & nos mētibus exaltati,  
 crucifixo cōcrucifixi, mortuo cō  
 mortui, sepulto consepulti eius e  
 xemplo fuerimus, ut secundū eun  
 dem rationis tenorē, cum resurgē  
 te à mortuis conresurgere quoq̃  
 nos ipsi à præuaricationis & pec  
 cati morte possimus? Quo enim  
 damnationis genere dignos nos  
 ipsos non existimabimus? si ani  
 maduenterimus, unigenitū Dei fi  
 lium, Patris sapientiam, & uniuersum  
 Dominū, integram serui,  
 ut nos à seruitute liberaret, formā  
 suscepisse: utq̃ carnē hanc nostrā  
 ex mortali immortalē redderet,  
 ac nobis iam pridem peccato mor  
 tuis uitam inspiraret, eamq̃ æter  
 nam

## O R A T I O.

nam, mortem crucis præelegisse.  
 Nos eius exemplo ne ad modicū  
 quidem tempus crucis ipsius imi-  
 tatores effecti, corpus nostrū spiri-  
 tualiter crucifixerimus, sed potius  
 corruptibilem hanc uitam ample-  
 xando, rationalem, diuinamq; ani-  
 mi nostri partem duris uinculis et  
 tetro carnaliū illecebrarū carceri  
 addictā, quasi dedita opera illigari  
 patiemur? An nō potius, et melius  
 cum ad diuitias thesauri, & gloriæ  
 summi Dei, quem constituit hære-  
 dem omniū, per quem & secula  
 condidit, homines nos factos esse  
 meminerimus, aliquando carnalia  
 hæc nostra, quæ animum grauant,  
 ac rationē deprimunt seponentes,  
 ad iustitię omnisq; claritatis solem  
 conuersi, Seruatorem nostrū Chri-  
 stum in cruce passis manibus pen-  
 dentem, uniuersumq; terrarum or-  
 bem gratiæ pietatisq; suæ luce il-

## DE CHRISTI PASS.

Iustrantē, imaginabimur? Nimis  
 certē duri ac ferrei profectō eri-  
 mus, si nō identidē cogitabimus,  
 eum qui est ante secula, nasci in se-  
 culo uoluisse, ut à peccati traduce  
 liberaret, nosq; ad immortalitatē  
 perduceret. An cum quis eum in  
 Iordane baptizari, ut humanæ na-  
 turæ nobilitatē, fordibus inquina-  
 tam detergeret, uoluisse, & mor-  
 tem uolenti animo suscepisse, par-  
 tim ut peccatū nostrum quod à li-  
 gno scientiæ originē traxerat pri-  
 mam, uiuifico illo crucis ligno ex-  
 piaret, atq; aboleret: partim uerò,  
 ut nos etiā eius exemplo in secu-  
 li persecutionib. cōstantes, & cly-  
 peo patientiæ armatos redderet,  
 cogitabit, non cōtinuò in stuporē  
 conuersus, immortales Deo gra-  
 tias aget. Quicq; ut nimis certē ce-  
 leres ad excerpēdū uetitæ arboris  
 pomum, ac propterea uulnera

tas

## O R A T I O.

tas protoplastorū manus, sanctarum in cruce suarū manuū uulnere atq; extensione sanaret, eas cruci affigi uoluit, seq; tortoribus laniandū tradidit. O nos amentissimos, & omnib. cōsilijs deuios, atque præcipites. O benignitatē Seruatoris nostri mirabilē, & inauditam. O pietatē (uellem omne animantium genus hæc intelligeret) propè singularem. Quæ enim potest esse maior pietas, quàm filiū suū, eundemq; unigenitū, in mortem dare pro nobis? Equidē cum de summa salutis nostræ cogito, pater eruditissime, demirari satis nō possum, hanc tam ingentē Dei Optimi Maximi benignitatē, in tantam uenisse obliuionē, ut quæ in ipsius gloriā laudemq; conferri omnia ab hominib. debuissent, in suos potissimū usus, & luxū (malum) contempto postpositoq; ue

## DE CHRISTI PASS.

ro Dei cultu transferant, & ple-  
rosq; etiã, & ex ijs Christianæ pri-  
mates reipub. existere, qui sese to-  
tos libidinib. addicunt, & haurien-  
dis uoluptatibus miserè ita incum-  
bunt, ut miserã ne, et miserabilem  
eorũ uitam, an malũ populorũ e-  
xemplum magis deplorẽ, prorsus  
ignorare uidear. Quod si serius  
omnino maximo patrum cõsensu  
remedia catholico cõcilio nõ adhi-  
beantur, & in primis cum Cæsar,  
quotquot unquã fuerunt, Impera-  
tor belli pacisq; artibus longè cla-  
rissimus, huius rei mirũ in modũ  
se auidũ declararit, tum fortasse re-  
media exquirentur, cũ malũ emis-  
sis altius radicibus, nõ ut iamnum  
occultè serpēs, desperatã cõditio-  
nem acceperit. Omne enim malũ  
(ut inquit Cicero) nascēs, & recēs  
(ut hoc addam) ortum, facilè op-  
primitur: inueteratũ fit plerunq;  
robu-

## O R A T I O.

robustius . Atqui uereor Pater,  
 ne, si, cum multa nimis sint huius  
 corruptę uitę exēpla, quę profer-  
 ri in mediū possint, in ijs recensen-  
 dis nimius fuero, aut oblitus pro-  
 positi, & ab instituta serie digres-  
 sus uidear, aut temeritatis crimen  
 incurram. Proinde ut eō unde di-  
 gressa est oratio reuertatur, libet  
 altius pristinā, nobisq; iam pridē  
 ereptā foelicitatē repeterē: ut cum  
 eā homines agnouerint, in quos  
 mox per peccatum laqueos indue-  
 rint, facilius possint addiscere. Fu-  
 it enim aliquando, fuit inquā tem-  
 pus illud, quo semotis affectibus,  
 qui in præsentī nos aggrauāt, uitā  
 quodammodo coelestē, quanquā  
 in corpore constituti, tanquam si-  
 ne corpore essemus, uiuebamus.  
 Cumq; postremi omniū plasma-  
 ti fuisset, primū ferē ordinē di-  
 gnitatis, aut secundū post primas

DE CHRISTI PASS.

& spirituales naturas tenebamus, ac corpore nō ut impedimento aliquo circūclusi, sed originalis iustitiæ munere donati, tanquā angusto quodā sacello circumdati, simul cum ipsis intelligētis supernaturalia illa contēplabamur. Neque corpore ipso anima nostra ad diuinas reuelationes suscipiendas impediēbat, quin potius corpore ipso in sublimi euehebatur: quippe quæ carnis ipsius ministerio tanquam instrumento quodā obtemperante, ad necessaria tantū uteretur. Decebat namq; sapientiā conditoris, cū incorporeas prius, corporeas deinde naturas produxisset, mediam quandā, & quæ extrema quasi uinculo quodā cōnecteret, ipso autore inter utraq; creari. Ob hanc igitur causam mirabili diuinoq; artificio cōtraria in unum redegit opifex ille omnium  
 Deus,

ORATIO.

Deus, animamque corpori simul cōglutinavit, tanquā à duobus extremis partē symmetriæ ac proportioni correspondentē accepit, cōpositumque animal ex utrisque, corporeū simul & incorporeū, mortale atque immortale, omnibusque creaturarū partibus cōsimile creavit: quantū scilicet ad animū, angelis, superioribusque potestatibus: quantum uerò ad corpus attinet, cœlo, mundi que elementis nō absimile fecit, ut nulla ex parte cæteris inferior creatura esset humana, utque eius ineffabili benignitate atque potentia, quæ belluina atque irrationabilia erant, cōmixtione illa diuina ad meliora quodammodo traherent. Informē igitur materiā illā omnipotens Deus in sapiētia, hoc est in unigenito filio suo, qualitatibus corporeis, corpus uerò ipsum sensibus exornauit. Postre-



DE CHRISTI PASS.

mō uerò altera meliore ac nobilio  
 re natura, mente scilicet, quasi qua  
 dam, ut ita loquar, corona insigni  
 uit. Atq; in hūc maximè modum  
 irrationabilior pars illa ad huius  
 præstātissimę animæ partis usum  
 cōposita: ipsa uerò mens ad imagi  
 nem & similitudinē Dei summi e  
 laborata atq; perfectā, ad summū  
 rerum omniū principiū, condito  
 rem q; recurrendi uim habet. Cui  
 enim creaturæ plusquā nobis tri  
 buisse dicemus creatorē, An cœ  
 lo, quod forma orbiculari prædi  
 tum, radiante luce tenebras etiam  
 nocturnas depellit? At hoc ipsum  
 diuinioris huiusce mysterij, anime  
 uidelicet, ac rationis expers, nihil  
 præter latitudinē ac rotunditatē,  
 astrorum q; uariatas uices ostēta  
 re nobis potest, An ætheri, cui ele  
 mentum igneū adhæret? An aeri,  
 qui secundā post ignem regionē  
 fortitus,

fortitus, ubiq; diffunditur. An a-  
que in uarios sinus, littora, mariaq;  
protense. An terrę, que grauitate  
sua cōstans, & suspensa, immobili  
nititur fundamento. Sunt illa qui-  
dem summi & eiusdē artificis præ-  
cipuè & in uniuersum, & in parti-  
bus suis inuicē, tū natura, tū sub-  
stantia, tum concentu & tempera-  
mento quodā administrata profe-  
ctò opera: nullū tamen istorū ra-  
tionali anima exornatū, ad summi  
ac ueri Dei cōtemplationem con-  
uertī, neq; cum altiorib; illis prin-  
cipijs, ad principij illius unici atq;  
supremi cognitionem peruenire  
poterat. At homo solus ex omni-  
bus creaturis mundi, rationis ca-  
pax animal creatū, quāto huiusce  
modi corporū magnitudini cede-  
bat, tanto rationis habitu, poten-  
tiacq; immensa illa, et corporea spa-  
cia superabat. Ac terræ illa infor-

## DE CHRISTI PASS.

mis uastitas iuxta creatoris nutū  
 grauitate sua perstat immobilis.  
 Æquora secundū ingenitā ab eo-  
 dem Domino naturā, perpetuo  
 cursu fluunt, ac refluūt. Quod ue-  
 rò super aquas sitū est elemētum,  
 per inane illud spaciū, naturali &  
 ipsum motu diffundit. Ignis autē,  
 et astra, cœlumq; legibus sibi præ-  
 scriptis ferunt: & hoc quidē circu-  
 lari uortice in semet reflexū: illa ue-  
 rò partim cœlo affixa eodē motu,  
 partim cōtrario cursu, cœlestē cō-  
 centum ex cōtrarijs proportioni-  
 bus reddunt: homo autē pedib. ter-  
 ræ obfirmatis, capite cœlū ipsum  
 suspiciens, pro rationalis animæ,  
 quo à Deo donatus fuerat, mune-  
 re, superato omni cœlesti ambitu,  
 usque ad penitissima secreta pene-  
 trauerat euolando. Hunc enim  
 idcirco *ἀναβωπιον* Græci appel-  
 larunt, quòd sursum spectet. Ipsi  
 ergo

## O R A T I O.

ergo, inquit Firmianus, sibi renun-  
 ciat, seque hominū nomine abdicat,  
 qui non sursum aspiciant, sed deor-  
 sum: nisi fortè ipsum quod recti su-  
 mus, sine causa homini attributū  
 putat. Spectare nos cœlū Deus uo-  
 luit utique nō frustra. nā & aues, &  
 ex mutis penè omnia cœlū uident:  
 sed nobis propriè datū est, cœlū ri-  
 gidis ac stantib. uidere, ut religio-  
 nem ibi quæramus, ut Deū, cuius  
 sedes illa est, quem oculis nō possu-  
 mus, animo cōtemplemur. Sed im-  
 pedior mœrore animi, ac dolore  
 cordis retardatur oratio mea, quo-  
 minus beatitudines olim nostras  
 prosequi possit. Sūmi enim boni  
 ac pulchritudinis ipsius inuisibilis  
 cōtemplatores effecti, nō tam præ-  
 sentiū, quàm futurorum expecta-  
 tione foelices eramus, atque beati.  
 Proinde cū succurrit mihi, ex qua  
 foelicitate delapsi, in quas mise-  
 rias

DE CHRISTI PASS.

rias parentū nostrorū culpa decidimus, stupet animus, obrigescūt fauces, hæret lingua palato: adeò, ut cum diuino illo uate non ineptè dicere ualeamus, Quomodo cantabimus canticū Domini in terra aliena? Quapropter ut breui cætera sermone perstringā. Nequā ille ac maleficus spiritus, ex angelica hierarchia dignitateq; pulsus, pro illa malignitate sua nullo modo ferre posse uidebat, primos illos patres nostros, licet intelligibili præditos forma, terræ tamen puluere ac limo creatos, præsentia diuina & frui, & perfrui posse: se uerò immaterialē omnino, intelligibili tantum forma præstantē, cum supra conditionē ac dignitatē suam præsuperbia efferi uoluisset, à summo cœlo ad ima & horrēda tartara esse delapsū. Propter hæc igit de se ipse omnino desperās, ad cætero.

terorū lapsum, & perniciē præpa-  
 ratus, cōsuetis dolis atq; uersutijis  
 primos illos parentes nostros ag-  
 gressus, in peccati profunda de-  
 merfit. Confundor animo Pater,  
 totoq; iterū corpore contremisco,  
 cum mecū identidē cogitās, priorē  
 illā Dei gratiā cū hac damnatione  
 calamitateq; soleo cōparare. Quā-  
 primū enim à ueteratore illo per-  
 suasi parentes nostri, diuini præce-  
 pti immemores labem cōtraxere,  
 gratia diuina spoliati, & propter  
 uetitū cibū, & propter peccati ex-  
 cusationē obiurgati, miserīā infœli-  
 citatemq; suam agnoscunt, ac natu-  
 ralibus subiecti incommodis, pelli-  
 ceas uestes induunt: & ut paucis  
 omnia percurrā, uno & eodem si-  
 mul tempore, & Dei fauore desti-  
 tuuntur: et à ligno uitæ, paradisoq;  
 exclusi, iubent in sudore uultus sui  
 panem tribulationis comedere. In  
terea

## DE CHRISTI PASS.

terea damnati, peccatiq; mole pre-  
 grauati, in uniuersum genus huma-  
 num uenenum illud quasi per ma-  
 nus traditū transfuderūt. Trium-  
 phabat igit̄ de nobis Tyrannus il-  
 le, atque aduersarius noster acerri-  
 mus, & primorū parentum trans-  
 gressione cathenatos, et nouis quo-  
 tidie peccatorū nexib. implicitos,  
 procul à patria, procul à cœlesti  
 Hierusalē, usq; in malorū profun-  
 da demergebat. Aduolabat enim  
 per uniuersum orbem terre, impo-  
 tentissimus hostis noster, ardēs o-  
 dio, animo hostili, adeoq; in om-  
 nes nos sæuiebat, ut quid huius au-  
 daciæ ac sceleri, artibus atq; uersu-  
 ttijs opponi posset, nō reperiretur:  
 quandoquidē falsis opinionibus,  
 et erroribus turbulentis, atq; adeo  
 quod omniū caput est, Dei ignorā-  
 tia, et obliuione implicati omnes e-  
 ramus: ad quem cōfugeremus, uti  
 omni-

## O R A T I O.

omnibus bonis, nedū rectē factis,  
cōsilijs deūj, habebamus neminē:  
nullum erat subsidium, nulla liber-  
tas: datæ ceruices erant huius tru-  
culentissimi hostis nefariæ crudeli-  
tati: eamq̃ fugam quærebamus,  
quæ ipsa exitum nō habebat. Quis  
igitur nos miseratus, tam diuinum  
atq̃ clarissimum nostro generi at-  
tulit beneficiū, nisi Christus, filius  
Dei: qui, cum omnia ad perniciē  
nostram pestifero nequissimoq̃ il-  
li hosti patērent, subito exortus sol  
iustitię, lumen ueritatis, diuinitatis  
impertitor, prius salutē nostrā o-  
peratus est, eq̃ iugo illius exemit,  
quā is hoc fieri posse suspicaret.  
Non plus enim benignus ille ac iu-  
stus rerum omnium ineffabili sa-  
pientia dispensator Deus optimus  
maximus, hanc Sathanæ iniquita-  
tem ferendā duxit. Videbat enim  
nos libero arbitrio derelictos, si si-  
ne



## DE CHRISTI PASS.

neret ex nostra ipsorum animi sententia uiuere, hoc etiam instigatore accedente tam procul ab eterna illa ciuitate, uagos, extorresq; ferri, ut spiritualiū, quibus in ea frui turi essemus, bonorū omnino immemores, carnalia tantū, & illecebras corporales sectaremur. Ante igit̃ quā ueniret plenitudo temporis illius, quo emissurus erat Deus filium suum unigenitum, factū ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos qui erant legi obnoxii redimeret, nunquā destitit nos & gratia sua, & futurorum bonorum, redemptionis uidelicet nostræ, promissionibus consolari. Atq; ex eodem genere humano per omnes ætatū, seculorumq; successiones, nobis in umbra legis redemptionis humanæ mysteria demonstrauit, ne omni spe destituti, perpetuò diabolo & angelis eius m̃cipatos  
nos

ORATIO.

nos esse putaremus. Nam ut Enoch Heliamque in cœlum raptos, ac diuisiones gratiarum spiritus sancti generi humano in prophetis, et legumlatoribus, distributas prætereamus: Noe sanctus, iubente Domino, creaturarum species mirabiliter in arca seruauit. Abraham iussus à Deo, de terra, & cognatione sua exiuit: & quoniã filium unicũ in holocaustũ offerendo credidit, imputatũ est illi ad iustitiã. Isaac autem, cuius semini benedictio omnium gentium promittitur, sponte se, quantum in illo erat, pro uictima obtulit. Iacob patriarcha benedictionem lucratus, & Israel, hoc est præualens Deo (sic enim Hebræa dictio יִשְׂרָאֵל significat) à Domino appellatus, duodecim cõstituit tribus. Ioseph à fratribus per inuidiam distractus atque uenundatus, uariisque ærumnis in Ægypto iactatus,

## DE CHRISTI PASS.

tus, Iudæorū genus ibidem transtulit. Moyses maioris reuelatione mysterij, dignus qui à Domino eligeretur, non suspicionibus aut ænigmatibus, sed facie ad faciē Dominum & uidet, & alloquitur. Rubum ardentem non cōburi perspicit, calceamenta soluit, nudisq; pedibus terræ sanctæ insistens, uocem Domini loquētis audit, & nomen intelligit. Pharaonem, quanquā esset impeditioris linguæ, confidenter alloquitur. Populū cum plaga ac strage, et submersione Ægyptiorum, per mare rubrum siccis pedibus educit; legem Domini tabulis illis duabus mysticè cōscriptam accepit in monte, & populo Israel legis traditione nouæ gratiæ mysteria recondita patefecit. Et ut Iesum Naue, ac cæteros populi duces & iudices, ut Samuelem sacerdotem, ut Heliseum duplicati Helix

liæ spiritus successorem omittam,  
David idem rex & propheta, ex  
cuius semine natus est homo Ser-  
uator noster, non ne ab ineunte sta-  
tim ætate, incarnationis Domini-  
cæ mysteriū præ se his egregiè ge-  
stis tulit: Nam & feras bestias, Dei  
gratia uirtutem subministrante, &  
puer adhuc & adolescens blasphe-  
matorem legis, & populi Dei, im-  
manissimū illum Goliath, belluam  
importunissimam, strauit in cam-  
po. Cumq; à Deo electus, & repu-  
diato Saul, à sacerdote unctus esset  
in regē, Saulq; inuidia stimulatus,  
omni in eum, & in suos crudelita-  
tis genere grassaretur, è contrario  
David nihil in eum de pristina cha-  
ritate atq; obseruatiā remisit: mor-  
tuo deinde Saul, cū Israelis regnū  
penes eū foret, perfectioris myste-  
rii omnis eius actio & uita referta  
est. Vincuntur in manu potenti,

## DE CHRISTI PASS.

& brachio excelsi cōteruntur alienigenę. urbes Israelis prius dirutę reædificant. Propensum se uniuerso Iudæorum generi Dominus declarauit. Arca fœderis, tripudians te quodammodo, ac rege ipso coram Domino psallente, in sanctam omni lætitia deducitur ciuitatem; & in aduersitate præstatur eidem à Domino cōstantia, & fortitudo: ita ut cum certus esset, ex eius fœmore secundū carnem nasciturū eū, qui redempturus esset nō solū Israelē, sed uniuersum etiā orbem terrarum, in tympano, & choro, in chordis, & organo, ingenti præditus animi tranquillitate, gratias agat, et laudet Dominum. Possem Pater clarissime, & cætera pleræque futurę redemptionis promissa cœlestia enumerare, nisi temporis rationem habendam mihi esse intellexerem; & multos ex Academia nostra

## O R A T I O.

ftra scirem esse, qui pro sua in om-  
 ni doctrinarū genere cognitione  
 et acutius, et diligentius omnia ista  
 perscrutari possent. Et quidem in  
 primis Isidorus Clarius noster,  
 Dei Opt. Max. beneficio, clarissi-  
 mi ingenij, diuini animi, cōsiliij incō-  
 parabilis magnitudine, cū sua exi-  
 mia singulariq; uirtute, atq; eloquē-  
 tiæ ubertate, tū summa totius A-  
 cademiæ cōprobatione, hæc ipsa  
 fusius eloquutus, sermonem fece-  
 rit. Ego uerò pauca hæc ex multis  
 commemorasse uolui, ut ostende-  
 rem genus humanum, licet à uete-  
 ri illa foelicitate insidijs diaboli cir-  
 cūuentum, ad inferiora ista depul-  
 sum fuisset, nunquā tamen diuina  
 gratia ita nudū, aut spoliatū, quin  
 per omnes ætates ordine quodā  
 successionis in corporibus huma-  
 nis, quasi astra quædam in regione  
 umbræ mortis, & tenebrarū emi-

## DE CHRISTI PASS.

cuerint, quorū luminibus illustratæ simpliciorum quorumq; ac imperfectorum animæ, portum salutis licet de longinquo, & quasi cæcutiētes, ipso Domino nostro per spiritum suum illis mōstrante aspicerent. Tametsi horum opera, neque uniuersum genus reiectis erroribus seruari, neq; rationem diuinitatis, ac reconditam illam trinitatis indiuiduæ naturā, quæ per ipsius Domini nostri Iesu Christi aduentum patefacta est, percipi potuisse, cuius nostrū facile cōstat. Licet enim uetus testamentū unam in trinitate substantiam atq; naturā, tres uerò hypostases satis aperte insinuet; de filio tamen, et spiritu sancto nihil exprimit nominatim, sed secretiore quodam mysterio, omne illud sacramentum occultare uo uisse uidetur. Nusquā enim in eodem testamento absolutam  
diui

diuinitatis rationē inuenias, quòd  
 scilicet Trinitas unica tantum sub  
 stantia sit, in tribus secundum sub  
 stantiā distincta personis : quodq̃  
 pater & filius & spiritus, integra  
 & perfecta deitas, eademq̃ in trini  
 tate non secundū personas diuisa,  
 sed tota in patre, tota in filio, tota  
 in spiritu sancto, ineffabili modo  
 diuinitas permanet, et intelligitur.  
 Vnus igitur Deus pater, & filius,  
 & spiritus sanctus, cum una & ea  
 dem sit substantia, potentia, & a  
 ctus, in tribus percipitur subsisten  
 tijs. Hæc est itaque sancta & perfe  
 ctior Theologia, per redemptorē  
 nostrū Dei filium Iesum Christū  
 nobis reuelata, et uniuerso terrarū  
 orbi per Euangelium prædicata.  
 Qui uerò hanc præterea ausi ante  
 hac diuinitatē perscrutari fuerūt,  
 in stultas uanasq̃ opiniones decli  
 nātes, frustrati sunt per cogitatio



## DE CHRISTI PASS.

nes suas, & obtenebratum est in-  
 sciens cor eorum. cum enim se cre-  
 derent sapientes, stulti facti sunt.  
 Omnino ipse coæternus patri, &  
 cōsubstantialis sermo Dei, filius e-  
 ius unigenitus, splendor claritatis  
 gloriæ Dei, magni cōsiliij angelus,  
 qui ante sæcula ordinatus, per pro-  
 phetas in umbra legis significatus,  
 & per angelum denunciatus iam-  
 pridem fuerat, sumpta nostrę mor-  
 talitatis carne descendit in terram.  
 O nostram (si ferreos hominum  
 animos cōsiderem) ingritudinē.  
 o eius ineffabilem benignitatem. o  
 sermonem admirabilem, & ante  
 hoc tempus inauditum. Ille, qui na-  
 tus est ante sæcula, qui uniuerso-  
 rum Dominus, qui inuisibilis, qui  
 est inseparabilis, qui humana co-  
 gitatione formari non potest, quē  
 laudāt Cherubim, ac uenerant, fle-  
 xit coelos, atq; descendit, paternæ,  
 ac

ac suæ nunciatus diuinitatis, ut coæ-  
 qualē sibi per omnia nobis spiritū  
 sanctum manifestaret, diuinitatem  
 nobis demum asserturus. Cumq̄  
 à sinu patris substantia abscelisset,  
 per hypostasim uentre suscipit̄ uir  
 ginali: perfectusq̄ homo, nihil de  
 perfecta diuinitate remittens, sed  
 humanitate in Deū assumpta, non  
 rapinam arbitratus est, ut esset æ-  
 qualis Deo, sed semetipsum ina-  
 niuit, forma serui sumpta, in simili-  
 tudine hominum cōstitutus, & fi-  
 gura repertus ut homo, non phan-  
 tastico (ut quidā blasphemare au-  
 si sunt) corpore indutus, sed ex glo-  
 riosæ, & nunquam uelleui labe te-  
 meratæ Mariæ uirginis purissimo  
 sanguine, carnem est mutuatus hu-  
 manam. Atq̄ ita mirabili quodam  
 ineffabiliq̄ mysterio factus est se-  
 cundum naturam nostram, ut in  
 primis nos originalis peccati iugo

depressos atque captiuos, tandem aliquando liberaret: quanquã matrem ante partum, et post partum, uirginitatis integræ caractere insigniuit. Domine quis credidit predicationi nostræ; & brachium Domini, inquit Propheta, cui reuelatum est? Quis eiusmodi antea miraculum uidere meruit unquam? Cui nam ex angelicis naturis, aut ex omni humano genere mysteriũ hoc apertè reuelatũ esse dicemus? Reuelatum profectò multis est, quos tantũ sacramenti capaces Deus nouerat: sed signis, obscuracq; rerum & significationum indagine obuolutũ. Quid enim aliud clausam portam? quid librum signatũ? & cætera in scripturis, huiuscemodi propè infinita, quàm intemertam matris Domini uirginitatem significare dicemus? Cuperem certè, Præses optime, redẽptionis nostræ

## O R A T I O.

stre mysterijs, si uox, et latera, si lin-  
 gua, & tempus, quo iam pridem  
 abuti uideor, pateret, immorari: i-  
 ta enim à principio usque in finem  
 mirabilis huius sacramenti series,  
 quasi cathena quadam aurea, &  
 gemmis lucentib. distincta cõiun-  
 gitur inuicem, ut quod ait in re sæ-  
 culari & prophana summus Ora-  
 tor, cõmodissimè dici possit in præ-  
 senti, & quidem ita esse experior:  
 difficilior enim huius orationis exi-  
 tus, quàm principium inueniunt. Ut  
 tamè infinita penè, quæ medio tem-  
 pore post natiuitatem redempto-  
 ris, diuinitatem humanitati cõiun-  
 ctam fuisse demonstrant, consultò  
 præteream: illud certè nullo modo  
 tacendum mihi esse persuadeo,  
 quòd post angelorum, Gloria in  
 excelsis Deo, & in terra pax, homi-  
 nibus bona uoluntas, psallentium  
 concentus: post noui sideris appa-  
 ritio.

DE CHRISTI PASS.

ritionem, post magorum mystica illa munera, partim in Ægypto, partim post reditum ex Ægypto, abdita quodammodo, & occulta, nisi in admodum paucis diuinitas eius usq; ad trigesimum annum delitescit: quod quidem ratione diuina factum omnino puto. Oportebat enim, perfecto trium decadū numero mysteria reuelari, ut scilicet perfectus ipse, perfecto in numero, scripturas, quæ eius aduentum astruebant, adimpleret. Vt enim impossibile erat, eum hominē qui semel uictus fuerat, & per inobedentiā elusus, uictoria aduersus teterrimos, truculentissimosq; hostes suos potiri: ita etiam fieri non poterat, ut per se, qui peccato obnoxius factus fuerat, salutem perciperet. Hęc utraq; Seruator noster Iesus Christus operatus est, qui etsi semper humano generi adesset,

## O R A T I O.

nouissimis tamen temporibus iuxta præfinitum tempus à patre, unitus suo plasmati, passibilisq; homo factus, dispensationem nostræ salutis cōsummauit. Huius autem rei rationē tradit Apostolus, cum ait: In hoc enim Christus uixit, & mortuus est, & resurrexit, ut uiuis & mortuis dominet. Hic idem ab eodem annunciabat, dicente: Tradidi enim uobis in primis, quòd Christus mortuus fuerit pro peccatis nostris secundū scripturas, & quòd sepultus sit, et tertia die resurrexit. Alterum autem Christum nescit Paulus, nisi hunc solum, qui & passus est, & sepultus est, quiq; mox resurrexit, quem & hominē plerunque dixit. Nam cum dixisset, Si autem Christus annūciatur quod à mortuis resurrexit: intulit, rationē eius incarnationis afferēs; Quoniā per hominē mors, & per

DE CHRISTI PASS.

per hominem resurrectio mortuorum. & alibi: Noli esca tua illum perdere, pro quo Christus mortuus est. & iterum: Nunc autem in Christo uos, qui aliquando fuistis longè, facti estis proximi in sanguine Christi. et mox: Christus nos redemit de execratione legis, dum pro nobis factus est execratio. Scriptum est enim, Execrabilis omnis qui pendet in ligno. & iterum: Et peribit frater qui infirmus est, ob tuam scientiã, propter quem Christus fuit mortuus. Quibus exemplis, & autoritatibus, quid aliud, nisi ingens erga genus humanum beneficentia declarat? quam in singulos dies memoria repetentes, ac pro nobis susceptę illius morti cordibus (ut est consentaneum) affixi, nescio quomodo nõ in stuporem toti conuertamur. Nam si Christi diuinitatem intueamur, cum quæ  
 pro

## O R A T I O.

pro nobis perpeſſus eſt agnouerimus, continuò non admirabimur, non in maximas huius tam inauditæ beneficentiæ laudes erūpamus: ſciētes, quòd qui erat in principio, & cum principio, atq; adeò principium in principio, uerbum erat, & uerbū erat apud Deum, & Deus erat uerbum, unigenitus inquam filius Dei, teterrimū mortis genus pro nobis ſubiturus, humanam aſſumpſit naturam. Qui cum uia, ueritas, uita, lux, potentia, ſapientia, ſplendor diuinitatis, & gloriæ patris, character ſubſtantię, diuinæ item bonitatis imago, ſceptrum reſtitudinis, & ſceptrum regni Dei: hic inquam cum in ſinu patris eſſet incōprehenſibilis, incognitus, incorporeus, infinitus, indefinitus, non figuratus, nec palpabilis, inuiſibilis, ſimplex, incompoſitus, ſine principio atque ſine, æternus,

ſem.



## DE CHRISTI PASS.

sempiternus, increatus, immutabi-  
 lis, sine uicissitudine, incircūscripti-  
 bilis, terram adiuit, in cōpendio sa-  
 lutem nobis præstaturus: ut quod  
 in Adam illo priore amiseramus,  
 nempe imaginem & similitudinē  
 Dei, id per hunc nouum, qui est i-  
 mago, & Dei Opt. Max. similitu-  
 do uera, reciperemus. Porro cum  
 Christum passum esse dicimus, nō  
 idcirco eundem fuisse Deum nega-  
 mus, quemadmodum et ipsum no-  
 men significat. in Christi enim no-  
 mine, nō is solum qui unxit, sed &  
 ipse qui unctus est, & ipsa in qua  
 unctus est unctio intelligit̃. Quam  
 obrem unxit quidē pater, unctus  
 est filius in spiritu, qui est unctio.  
 quemadmodum per Esaiam dicit̃:  
 Spiritus Domini Dei super me,  
 eo quòd unxit me Dominus: signi-  
 ficans, & ungentem patrem, & un-  
 ctum filium, & unctionem qui est  
 spiri-

spiritus. Oportebat enim mediato-  
 rem Dei et hominum, per suam ad  
 utrosque affinitatem, in amicitiam  
 utrosque concordiamque reducere: a-  
 gereque ut Deus hominem assume-  
 ret, & homo Deo adiungeret. qua  
 enim ratione adoptionis eius parti-  
 cipes esse possemus, nisi per filiū,  
 eam quæ est ad ipsum recepisse-  
 mus cōmunionem: nisi uerbum e-  
 ius communicasset nobis, caro fa-  
 ctum: Proinde cōsentaneum fuit,  
 eum qui peccatū uellet occidere, et  
 mortis reum redimere hominem,  
 id ipsum fieri, quod erat ille, hoc  
 est hominem, ut peccatū ab homi-  
 ne interficeretur, et homo exiret à  
 morte. Quemadmodū enim per  
 inobedientiam unius hominis, qui  
 primus de terra plasmatus est, pec-  
 catores sunt omnes cōstituti, & a-  
 miserunt uitam æternam: ita oportuit,  
 & per obedientiam unius ho-

## DE CHRISTI PASS.

minis, qui primus de uirgine natus est, iustificari multos, & salutē percipere. Nec quenquam offendat, quòd is non haberet à seipso quicquam facere, uel loqui, uel iudicare, aut elargiri, quod identidem ignorantiam, subiectionem, orationem, interrogationem, ac incrementum, & humanos præ se ferè omneis affectus tulerit: nam hæc eò in suam naturam admisit, nihil alioqui de diuinitate remittens, ut quantum ille nostri causa homo esset, tantū eiusdem beneficentia dii nos esse inciperemus. Ex muliere quidē genitus est: at ea uirgine, ut hominem simul & Deum agnosceremus. Fascijs quidem inuolutus est, sed eas resurgens in se pulchro reliquit. In præsepio positus est, sed Gloria in excelsis Deo, ipso nascente, angeli decantarunt: & à stella ostensus, & à magis est adoratus.

O R A T I O.

doratus. In Ægyptum Herodis di-  
 ritate fugatus est, sed ab ipsa diuī-  
 no oraculo reuocat̃. Non habuit  
 speciem, neque decorem apud Iu-  
 deos, sed à beato Dauid speciosus  
 forma præ filijs hominū nomina-  
 tur: & in monte trāsfiguratus, splē-  
 didior sole apparuit. Porrò ut ho-  
 mo est baptizatus, at ipse tanquā  
 Deus et peccata dissoluit, et aquas  
 sanctificauit. Tentatus quidem est  
 ut homo, at ut Deus uicit, & nos  
 uti eiusdem naturæ cōsortes confi-  
 dere præcipit, dicens: Confidite  
 quòd uicerim mundum. Esuriuit:  
 at cogitemus (mirū) sexcenta ho-  
 minū milia pane utiq; uiuifico atq;  
 coelesti ipsum cibasse. Sitiuit, sed i-  
 dem clamat: Si quis sitit, ueniat ad  
 me, & bibat, & flumina de uentre  
 eius fluent aquæ uiuæ, saliētis in ui-  
 tam æternam. Laborauit ille qui-  
 dem, sed perfugium laborantium

## DE CHRISTI PASS.

ipse est, ac oneratorū requies. ait  
 enim: Venite ad me omnes qui la-  
 boratis, & onerati estis, et ego reso-  
 cillabo uos. Somno grauatus est,  
 sed super mare siccis pedibus am-  
 bulauit: uētis increpat, & obediūt  
 illi: & Petrum aquis ferè obrutum  
 liberat. Vectigal soluit: ihs autē qui  
 à sese illud repetebāt, dominať. A  
 dæmonibus ipsis agnoscitur: at il-  
 los, & spirituum legiones in præ-  
 ceptis agit. Orat, sed is est qui oran-  
 tes exaudit. Interrogat ubi nā La-  
 zarus positus esset, tanquā homo:  
 illum uerò tanquam Deus à mor-  
 tuis excitauit. Venundať redem-  
 ptor gentiū, & quidem uilissimè,  
 nempe triginta argenteis: & mun-  
 dum ingenti precio, proprio uide-  
 licet sanguine redemit. Et quantū  
 nouo, inaudito, inexpiable scelere  
 Iudæi se polluerūt, seque nefario Ser-  
 uatoris generis humani parricidio  
 ob-

## O R A T I O.

obstrinxerunt, illis tamen ueniam precat: Pater, inquires, ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt, cum tamen ipsi alioqui in eius corpore lacerando atq; uexando, cum animum insatiabilemque crudelitatem satiare non possent, non tantum pietate, quam defatigatione quieverunt. Quocirca mihi quidem peruenisse uideat, quoad progredi poterit, Iudeorum nefaria impietas, neque enim ullius supplicij adhibendi (quando praesertim maximam sui potestatem illis fecisset) ullam partem reliquerunt. Interficere enim statim captum noluerunt, ne nimis, credo, in opificem suum liberales uiderent: quem cum uerborum contumelijs incesto ore lacerassent, tum uerberibus ac tormētis, idque per biduum tractum, atque laceratum, demum in crucem immatissimè egerunt. Ad iugulum tan

d 3      quam

DE CHRISTI PASS.

quam ouis, ille ducebatur, qui inenarrabili sapientia sua totum terrarum orbem regit atque custodit. Tanquam agnus sine uoce fuit, sed ipse sermo est per quē Deus creauit omnia. Erumnis uulneribusque plenus fuit, quæ lubens ipse propter peccata nostra suscepit: at ægritudinem omnem atque calamitatem sanat. Ligno quidem affigit, sed in ligno uitam constituit, latronemque secum crucifixum seruauit. Quis? is qui illuminat omnem hominem uenientem in mundū. Acetum in potum, & fel in cibū offertur, cuius ei qui gustus amaritudinē omnē dissoluit, qui que dulcedo est, & desiderium. Animam pro nobis ouibus suis impendit, sed eius iterum accipiendæ potestatem habet. Velum frangit, tum enim abditissima quæque manifestantur: petra scinduntur, & uitæ mortui restituntur.

## O R A T I O.

untur. Moritur, sed uiuificat: et sol ipse suum, ne hanc uideret crudelitātē, lumen abdidit. Quotus enim quisq; est, qui cum ante oculos miseram quidem illam et flebilem speciem, sed ad incitandos hominum animos necessariam proposuerit, nō continuò in fontem lacrymarū erumpat, à lacrymis temperare, à dolore mentem abducere queat? Si noctūrnū impetum in hortū, irruptionem armatorum considerarit, non cōmiseratione totus cōmotus atq; percussus, ingentem erga nos filij Dei pietatem admiret, & præ dolore quodammodo cōtabescat? Cogita quæso mi Pater, osculum proditoris, uocem impuram, atque os illud infame, uincula, uerbera, carnifices, crudelissimosq; tortores, cum omnes alioqui scelestissimos unico uerbo in terram prosternere posset: & tum



## DE CHRISTI PASS.

si poteris tutè à lacrymis temperabis. Moritur, sed uiuificat : sepelitur, sed resurgit : descendit ad inferna, & animas patrum nostrorum inde transfert. In cœlos ascēdit, uenturus post, uiuos & mortuos iudicaturus. Hic itaq; cum Deus esset, nil ueritus est homo factus miserias omneis eas subire, quibus & æternam nobis mortem, quæ nobis propter peccatum debebatur, abigeret, & immortalem uitã, immunemq; à peccato libertatem impertiret. Quum igitur ita res habeat, omni nos conatu niti decet, ut uerè liberi, & huius grati beneficij & dicamur, & simus. Non solum quicquam quod diuinæ maiestatis oculos possit offendere perpetrantes, sed ne cogitatione quidem offendamus : scientes, quòd nō solum factorum reddemus rationem Deo, ut serui, sed etiam ser

monum, & cogitationum: ut qui libertatis potestatem acceperimus, qua magis probatur homo, si ueneretur, timeat et diligat Deum. Propter hoc Petrus ait, non praetextum habere nos malitiae liberalem, sed ad manifestationem fidei. Huius quidem beneficii grati erimus, si illi, uti Moses praecipit, primitias creaturae eius obtulerimus. Non appareat, inquit, homo uacuus coram Deo, ut in quibus gratus homo erga Deum extiterit, in ijs eum quem ipse largitur, honorem percipiat, ut hinc qui libertatem acceperint, facile agnoscantur. Si enim sua omnia ad dominicos decernunt usus liberè & hilariter omnia impendentes: uiduam illam & pauperem imitati, quae ingenti spe freta, totum uictum suum misit in gazophylacium Dei. Ut autem aliquam huius beneficii significationem faciamus,

sacramentum illud altaris memo-  
 rabile nobis reliquit, quo, etsi à  
 pluribus deprauet, in quæstumq;  
 conuertatur, nos passionem & be-  
 neficium humano generi collatū  
 memoria repetentes, quas possu-  
 mus, maiores illi gratias agimus,  
 hancq; ob causam *εὐχαριστία* à Gre-  
 cis appellat. Qua quidem in re, cū  
 ei quæ sunt eius offeramus, nō est  
 quòd inde meritum aliquod elicia-  
 mus. offerimus enim ei non uti in-  
 digenti, sed gratias de collatis in  
 nos beneficijs illi agentes. Quem-  
 admodum enim Deus non indi-  
 get eorum quæ à nobis in illū pro-  
 ficiscuntur, non idcirco non indi-  
 gemus nos Deo aliquid offerre.  
 Quandoquidem qui miseret pau-  
 peri, foenerat Deo. Qui enim nul-  
 lius indigens est Deus, foedas has-  
 ce, & peccatis inquinatas, atque  
 cōspersas assumit operationes no-  
 stras,

O R A T I O.

stras, ad hoc ut præstet illis æternæ uitæ retributionem. Hunc igitur, cū tam pius, tamq̃ misericors sit, agite, adeste, in terram proster namur, incurui procumbamus, genua cordis ante cōspectum Domini submittamus, dicentes: Nos populus tuus, & oues pascuæ tuæ, laudes tibi in perpetuum decantabimus,

F I N I S.

AD CHRISTVM IN  
cruce positum, Bernardini Barbu-  
lei Carmen.

Tē ne ego magne pater, tē ne alti rector olympi?  
Tē ne ego sic lacerum indignos crudeliter artus,  
Sic positum afficio? quem non uasta atria cœli,  
Non mundus capit: ecce breui nunc stipite fixus.  
Nos miseri assiduos lacrymarū fundimus amnes,  
Tantaq; non soli deflemus funera luctu.  
At tellus tremefacta, latensq; in nubibus aer,  
Cunctaq; turbatis fierunt elementa figuris.  
Fleuit Sol nigra uultum ferrugine tingens:  
Ipsaq; lugubri crines uelauit amictu,  
Autorem miserata suum moestiſſima Phœbe:  
Atq; auersa nouus stupefecit sidera mœror.  
Heu dolor, heu pietas. Heu quæ facta impia tantū  
Ausa nefas? quæ fors non diris excidit ausis?  
An ne parum fuerat, primū modò linquere cœlū,  
Nec dedignatum misera commercia terræ?  
Quodq; Deum miscens homini (mirabile dictu)  
Induere humanos non fastidueris artus:  
Tristia quin diræ passus ludibria gentis,  
Ferre crucem, & nostro uoluisti occūbere letho.  
Sic quondam charæ diuulsus ab ubere matris,  
Mitis ubi extructas agnus mactatur ad aras.  
Nostra luis commissa, tuo nos sanguine seruas,  
Dulciaq; æternæ das noscere præmia uitæ,  
Quò iā summe pater? nā supra quicquid et infra est  
Te uenerata, tuos obseruant omnia nutus.  
Da, seu te infirmæ tangunt contagia partis,  
Ter

Terra, Prometheusq; lethū, primordia nostra,  
Seu dolor, & fassæ spes non indebita mentis,  
Nec tua difficilis nostræ clementia culpa:  
Vt qui mœsta p̄ij repetentes orgia sacri,  
Annua solennis colimus mysteria luctus,  
Per te pacatæ defunctis munere uitæ,  
Supremus tenues quum spiritus ibit in auras,  
Helysei leta arua poli, sedesq; beatæ,  
Pollicitiq; tui pateant non irrita dona.

A M E N.

BASILEAE, EX OFFICINA

Ioannis Oporini, Anno Salutis hu-

manæ, M. D. XLVIII.

Mense Maio.

# DOCTRINA

M. B. B.

PROFESSOR  
OF THE  
LAW  
OF THE

UNIVERSITY OF  
MICHIGAN  
LAW SCHOOL  
ANN ARBOR, MICHIGAN

1912



1858/22

PAULINE DE KEMP

1858/22

1858/22

1858/22